



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et  
Abbatis Cassinensis**

**Arnulfus <de Boeriis>  
Bernardus <Ayglerius>**

**Dilingæ, 1616**

V. De eorundem transitu ex Monasterio ad Monasterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)



## CAPITVLVM V.

IN QVO AGIT  
DE MONACHORVM  
MONASTERII AD  
MONASTERIVM  
transitu.



DOSTQVAM verò actū  
est de reditu Monachi  
ad sæculum, & quam  
sit periculosus osten-  
sum, sequitur de transitu Mona-  
sterij ad Monasterium, qui quando-  
que causâ fit necessitatis, quandoq;  
causa vtilitatis, & nonnunquam  
causâ mobilitatis & instabilitatis.  
Primi duo transitus non prohiben-  
tur, imò conceduntur, vltimus ve-  
rò reprobatur. Inter hæc enim quā-  
do aliquis auctoritate superioris de  
vno Monasterio ad aliud transfer-  
tur,

*Triples  
transitus*

*Necessi-  
tatis*



60 SPECVLI D. BERNARDI

*Utilitas:*

tur, vt ibidem præsit & profit, hic est transitus necessitatis. Et quando Monachus impedimento malæ societatis nō potest saluare & ad aliū locū transeundo credit salutē inuenire, potest esse transitus causa utilitatis.

*Leuitatio*

Quando autem nec superioris auctoritate mouetur, nec prædicta utilitate inducitur, sed propria temeritate & leuitate deducitur, tunc est transitus leuitatis.

*Primus pertransitur.*

Primus verò transitus qui causa necessitatis conceditur, vt huic operi impertinens, prætermittitur; sed de alijs duobus tractatus subijcitur.

*Secundus discutitur.*

Cum autem transit Monachus causa utilitatis, & propriæ salutis, debet considerare quod se in proprio Monasterio non potest saluare, vt prædictum est, & in alio coadiuuantia ad suam salutem valeat inuenire. Non potest autem de facili



cili saluari, vbi spes non est de ordinatione & reformatione Monasterij, & vbi substantialia Regulæ contingit ab omnibus præuaricari. Tunc enim Monachus sic exeat quod alibi suam salutem attendat, & non Monasterium pestilens eligat. Sanus enim aër & non pestilens debet eligi qui debet ab ægritudine pestilentix saluari. Vnde Senec.

Non tantum corporibus eligere salubrem locum debemus. De hoc B. Bernardus inquit: Si quis in loco in quo professus est pro improbitate vel irreligiositate habitantium, morum conuersionem & Obedientiam secundum Regulam obtinere fortè nequiverit, duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad locum alium, in quo non impediatur homo reddere vota sua quæ distinxerunt labia sua. Er quidē;

*Cum Sācto sanctus eris. & cum peruerso peruerteris.* Vinum enim putredine Psal. 17. 26



Horat.

ne mixtum, aut in vase corrupto depositum contrahit corruptionem, & delectabilem amittit saporem. Vnde Poëta: *Sincerum, nisi sit — vas, quodcumque infundis accessit.*

1. Cor.

5. 6.

Galat.

3. 9.

Et secundum Apostolum ad Cor. *Modicum fermenti totam massam corrumpit*; quid erit si modicæ massæ multū fermenti commiscuerit; Senec. Initiū morbi est, agris sana miscere. Item, Quomodo ad salutem reuocari possunt quos nemo retinet publicis in pellicatibus occupatos.

Sicut enim vix cum cibus & socijs delicatis potest quis propositum tenere in abstinentijs obseruandis; ita poterit vix homo conseruare munditiam cordis, & corporis cum immundis. Item Senec. *Cōuictor delicatus paulatim enervat, & emollit. Malignus comes, quamuis candido & simplici vultu, rubiginem suam affricuit.* Eccles.

Eccles.

13. 1.

*Qui communicauerit superbo, induet superbiam.*



*superbiam.* Malignorum ergò co-  
habitatio, & in malis communica-  
tio est fugienda: & bonorum socie-  
tas, & cū illis assiduitas est eligēda.

*Eccles. Discede ab iniquo & deficient* *Eccles.*

*mala abs te. Idem, Cum viro sancto* *7. 2.*

*assiduus esto, quęcunq; cognoueris obser-* *Eccles.*

*uantem timorem Dei, cuius anima est* *37.*

*secundum animā tuam.* Nam conuer-

satio nostra debet esse vel cum illis

qui nos faciunt meliores, vel cum

illis quos facere possumus emenda-

tiores. Senec. Cum illis conuersare

qui te meliorem facturi sunt: Illos

etiam admitte quos tu meliores fa-

cere potes. Locus enim in quo nec

sibi, nec alijs Monachus potest pro-

ficere, & se in illo videt deficere

non est amplectendus, sed fugien-

dus. Si autem propter vnum ira-

scitur toti congregationi *D. E. V. S.*

quanto magis, vbi omnes sunt ma-

li, poterit Deus irasci vni personę

cum malis conuersanti, vel cohabi-

tanti.

*Eccles.*

*7. 2.*

*Eccles.*

*37.*

*Cum quibus sit conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*

*conuersandum*



tanti. Quod autem hoc contingat,  
 dicitur in Iosue : *Non ero ultra vo-*  
*biscum, donec conteratis eum qui huius*  
*sceleris reus est.* Exeat ergo à socie-  
 tate cui offensus est Deus, ne in mul-  
 torum peccatis, & pœnis inuolua-  
 tur innocens vnus; sicut dicitur per  
 Angelos ad Loth in Genesi: *Surge,*  
*ne & tu pariter pereas in scelere ciui-*  
*tatis.* Et in libro Num. *Recedite à*  
*tabernaculis hominum impiorum, &*  
*nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne*  
*inuoluamini in peccatis eorum.* Qui  
 enim terram in carnalibus deside-  
 rijs lingit, se continentem corrup-  
 pit. Et discedendum est ab eius so-  
 cietate, qui non habet curam salutis  
 propriæ, sicut de Amalec. (qui inter-  
 pretatur populus lingens) dicitur  
 in lib. Regum : *Discede ab Amalec,*  
*ne inuoluaris cum eo.* Iste tamen  
 transitus debet esse discretus, cum  
 consilij maturitate, cum patris li-  
 centia, & auctoritate etsi non ob-  
 tenta

Iosue. 7.  
 22.

Gen. 19.  
 15.

Num. 16.  
 26.

1. Reg.  
 15. 16.



tenta, saltem petita. Nam in terra Job. 1. 10  
 Hus Iob aliquando inuenitur. Et Cant. 22.  
 in Cantico: legitur: *Sicut lilium in-*  
*ter spinas sic amica inter filias.* Et talis  
 quandoque multum meretur, qui  
 in Apocal. dicente Domino com- Apoca-  
 mendatur: *Scio ubi habitas, ubi se- 2. 13.  
*des est Sathana: & tenes nomen me-*  
*um, & non negasti fidem meam.**

Et quia non semper est transitus Tertius  
 maturus vt fit causa vtilitatis, sub- transitus  
 iicitur hic de transitu qui fit causa improba-  
 leuitatis, Ad hunc transitum ex tur.  
 pusillanimitate proceditur, quem  
 multa dispendia comitantur, vnde  
 sic transeuntes paruuli appellantur:  
 sicut de ipsis in Prouerbijs dicitur: Prouer  
*Paruuli transeuntes sustinuerunt di-* 27. 120  
*sperdia.* Cum autem Monachus,  
 qui debet esse sicut terra stabilis, &  
 fixus, ac firmus, mouetur de suo lo-  
 co vt homo leuissimus, est quidam  
 terribilis terræmotus, & montium  
 quidam concussus, sicut dicitur in  
 Isaia:



*Isa. 13.*  
*13.* *Isaia : Mouebitur terra de loco suo,*  
*propter indignationem Domini exer-*  
*cituum. Et in Ieremia : Vidi mon-*  
*tere. 4.*  
*24.* *tes, & ecce mouebantur : & omnes*  
*colles conturbati sunt. Iste mo-*  
*tus leuitatis causatur etiam à vento*  
*tentationis, & facit cadere stellas à*  
*firmamento Religionis, sicut legi-*  
*Apo. 6.*  
*13.* *tur in Apocalypsis : Stelle de caelo*  
*ceciderunt super terram, sicut ficus*  
*emittit grossos suos cum à vento mo-*  
*uetur. Et ideo non suadeo Mo-*  
*nacho, quod etiam obtentu arc-*  
*tandi se, ad aliam Religionem, vel*  
*Monasterium se transferat, dum-*  
*modo in primo saluari valeat, se-*  
*cundum consilium B. Bernardi di-*  
*centis : Sanè de Religiosis, & be-*  
*nè ordinatis Monasterijs nullus*  
*professus, meo consilio, nec arcuio;*  
*ris quidem desiderio vitæ, sine li-*  
*centia sui superioris, egredietur.*  
*Et subdit : Fortè vult aliquis de*  
*Cluniacensibus institutis venire ad*

no-



nostram paupertatem, eligens nimirum, præ illis consuetudinibus, magis Regulæ puritatem; Si me consulit, non consulo, si non sanè usurpauerit Abbatis id assensu. Primo, propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde, quia relinquere certa pro dubijs, tutum non erit. Forsitan hoc tenere potest, illud non poterit. Tertio, suspectam habeo leuitatem, quia id sæpè quod facere volumus antequam probemus, experti iam nolumus. Vno quippe momento id ipsum & cupientes, & respicientes tam leuiter, quam etiam irrationabiliter. Idem: Scio nonnullos de alijs Congregationibus, & institutionibus ad nostrum Ordinem peruolasse, pulsasse, intrasse, qui hoc agentes, & suis scandala reliquerunt, & nobis nihilominus attulerunt; dum quantum illos sua temeraria discessio, tantum nos conturbat sua misera

*Non de  
serendū  
Monasterium  
benè ordinatum  
arctioris  
vitæ desiderior*

con-



conuersatio. Et quoniam superbe spreuerunt quod tenebant & temerè præsumperunt quod non volebant, digno Deus eorum exitu patefecit ignauiam ; quia impudenter deseruerunt, quod imprudenter arripuerunt, & turpiter ad id redierunt, quod leuiter deseruerunt.

---

CAPITVLVM VI.  
 IN QVO AGIT  
 DE VAGO, ET CV-  
 RIOSO DISCVRSV,  
 IPSVM REDA-  
 guens.



RANSITV namque, qui est de Monasterio ad sæculum damnabili ; & alio transitu, qui